Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26261
Copyright: Admont, Benediktinerstift

due sunt inquid o beati martyres. certaminum indutie
penas; Si persequitur corpus suppliciis se mactatis madido
ac corruptibile omittit uitam; anima uero spiritali mer-
catur pro his ex uirgine natus est. Gloriosa etenim deuocio
martyrum. Hec aduersantium minatia pertimescit. nec a
barbarica rabie perturbatur. quia qui superat aduersarios suis
semper prodest dilectis. Magna semper efficitur propugnantium
martyrum uirtus. et gloriosus in eis digne laudatur dominus
ihesus christus qui uiuit et regnat in secula seculorum. Amen. Lectio de

SANCTORUM martyrum quorum hodie MKIB;
festa celebramus. uictorie unanimiter colletemur.
eorumque uirtutes quantum dominus dederit imitemur. Illi
repugnauerunt carnalibus cruciati tormentis. nos repug-
nemus cupiditatibus uitiosis. Modo christianis non dicitur
ut aurea simulachra uenerentur et colant. sed plerisque
suadet diabolus ut impressas auro imagines amplec-
tantur et diligant. Tunc faciet diabolus eos hisdem
pecuniis reatum sempiterne cruciationis incurrere. quibus
debuerant eterne quietis meritum comparare. Ecce quibus
delectationum tormentis diabolus homines cruciat. huiusmodi
telis miseros et ignaros expugnat. et putant se persecutio-
nem non pati quicumque sunt malis moribus subiugati. Quo
circa karissimi resistite huiuscemodi insidiis diaboli. et repug-
nate christi uirtute muniti. Considerate fratres quantum
deteriora sint ista delectamenta. quam illa tormenta.